

Król Kazimierz Wielki zatwierdza liczne regulacje prawne rady miasta Krakowa, w tym zasady podziału majątku między króla i miasto po zmarłym bez sukcesorów kupcu zagranicznym oraz zakaz testowania nieruchomości miejskich na rzecz osób i instytucji duchownych, 7 XII 1358.

Kodeks dyplomatyczny miasta Krakowa, t. I, cz. 1, wyd. F. Piekosiński, Kraków 1885, nr 32, s. 36-39

Odczyt: Kamil Sorka

Casimirus dictus Magnus rex Poloniae privilegia et immunitates civitatis Cracoviensis renovat et auget.

In nomine Domini amen. Regie maiestatis celsitudo propter queque virtutum insignia laudedignis glorie titulis excellenter insignitur, et tanto celebrioris fame venustatur auspiciis, tantoque diffusioris laudis attollitur preconiiis, quanto accuracius sathagit inhiare ampliandis rei publice incrementis, ex quibus Regie dignitatis consurgit fastigium, honoris augescit cumulus, regalis munificencie propagatur liberalitas et subditorum successus crebrescit in inmensum. Hinc est, Quod Nos Kazimirus Dei gracia Rex Polonie, necnon Terrarum Cracovie, Sandomerie, Syradie, Lancicie, Cuyavie, Pomeranieque dominus et heres, notum facimus presentibus et futuris, quod cum Civitas nostra Cracoviensis inter Urbes Regni nostri famosior sit nomine, celebrior fama, et in bonis fortuitis ceteris videatur preminere, cuius siquidem cives ab annis inpubertatis nostre meritis, sue benivole fidei puritate obsequiorum promptitudine, nostris promptissime obsecundavere nutibus, dignum ducimus ipsam Civitatem et cives ipsius privilegiorum prerogativis, donacionum graciis, libertatum excellenciis non inmerito aliis prerogare. Sane itaque consideratis et perpensis exquisitis priuilegiis, donacionibus, libertatibus per nos et progenitores aut quosuis predecessores nostros ipsi Civitati nostre erogatis et indultis, minus specialiter et expresse declaratis, indeclarata luculencius declaramus, declarata presenti instrumento vigorosius approbando ratificamus. De Munificencia siquidem Regie liberalitatis damus perpetuo donantes, munificencius elargimur universitati eiusdem Civitatis nostre omnes et singulas utilitates infrascriptas: notanter quinque cameras pannorum cum toto censu et pleno dominio, sex cameras pannorum cum Terrragio sive censu terrestri, viginti duo scampna panis cum pleno iure, duas cameras sive casas, in quibus panni tondentur, cum omnibus utilitatibus, sex cramos sive institas cum suis censibus, tres stubas balneares, quarum una vocatur in Arena, altera balneum Iudeorum, tertia circa Cornutos, cum quibuslibet eorum (s) solucionibus, cremenoria argenti, cementaria Auri cum omnibus suis attinenciis duas pensas sive stateras quarumlibet rerum cum omnibus usibus, duos currus vel plures, si necesse fuerit, ducentes potabilia, ad quos pertinet depositio et suppositio vinorum, cervisiarum et quorumlibet potabilium cum omnibus utilitatibus ad eos et ad ea pertinentibus, censum quartarum de singulis hospitum staminibus vel ius Civitatis non habencium, unam aream in plathea Castrensi, aliam in plathea Iudeorum, Maccellum Carnium cum suo censu, Mansum agrorum cum dimidio, censum arvinatorum. Item omnes census inter et intra et supra muros, in foro, sub pretorio, in pretorio et circumquaque, seu ex omni parte pretorii, qui sunt et fieri possunt in futurum, pro utilitatibus Civitatis

ampliandis, dummodo Civitas in locis celebribus per inordinata edificia occupata non deturpetur. Porro ne uniuersitas civium et pistorum antiquatis libertatibus frustrata, ad insolitam cogatur servitutem providemus graciosae indulgentes, quod omnes et singuli cives et pectores sicut deantea liberi fuerunt, ex nunc liberi sint quelibet frumenta sua molere seu contondere, quod vulgo dicitur *Schroten*, in molendinis, quibus ipsis placebit, nec unquam compelli debent ad molendum seu contonendum sua frumenta in nostris regalibus molendinis vel aliis quibuscumque, exceptis illis pistoribus, qui ad nostrum cum toto censu translati fuerint dominium vel redempti. Census siquidem superius expressatos augeri admittimus sine nostrorum censuum aliqua diminutione. Preterea pro uberiori augmento reipublice Civitatis gades ab antiquo distinctos hoc modo duximus confirmandos: primum, quod omnes suburbani ad omnia iura Civitatis obligentur, exceptis specialiter civibus residentibus ad sanctum Florianum et incolis Nigreville et Nigreplathee et his, qui in littore *Wysle* resident versus *Swerzinciam*, qui omnes iudicio et iurisdictioni Civitatis non subiacebunt. Deinceps pascua versus *Swerzinciam* usque ad gades limitatos vel limitandos ad Civitatem pertineant ab istis gadibus usque ad fluvium *Prandnyk* circa agros Iohannis Amelegii, ab isto loco per limites agrorum ad Civitatem pertinencium, ab inde omnia intra pascua Ciuitatis contenta versus *Czyrin* usque ad fluvium *Wyslam*, deinceps versus Kazimiriam [ultra] littus *Wysle* ab ista parte. In quibus gadibus agros pertinentes ad domum sancti Spiritus volumus fore exceptos et exemptos. Omnesque cause civiles vel criminales, que intra gades predistinctos emergerint, cum omni iure ad iudicium et regimen pertineant Civitatis, eo moderamine interiecto, si equi, pecora vel alie res quecumque apud nobilem vel ingenuum nostri Regni fuerint arrestata, is apud quem arrestata fuerint, parebit iuri coram iudice sibi competenti. Si autem huiusmodi res apud civem aut mercatorem extraneum vel quemlibet forensem fuerint arrestata, a foro iudicii Civitatis quoquomodo non trahatur. Interea ne quisquam secundum status sui exigenciam iuribus sue legis frustretur in eo casu, si suggerente antiqui hostis malicia miles vel nobilis terrigena civem Civitatis prenotate occiderit vel vulneraverit, causa vulneracionis vel homicidii coram nobis, aut a nobis substituto, vel iurisdictionem ordinariam habente iure Polonico prosequatur; econtra si militem vel nobilem Regni nostri civis occiderit, aut aliquammodo vulneraverit, in presencia nostra vel substituti a nobis iure Civitatis duobus aut tribus vel pluribus consulibus et civibus presentibus causa decidetur. Hac condicione addita, quod solum in hoc casu quis civem vel ius Civitatis habentem non ulterius, quam ad iudicium nostrum trahere poterit vel audebit. In aliis autem omnibus et singulis casibus nulli cives vel ius Civitatis habentes per quosvis iudices, officiales vel familiares nostros extra iudicium Civitatis, nec ad Castrum, nec ad vincula, nec ad aliquod quodcumque iudicium, nec ad captivitatem trahi debent vel evocari. Excepto duntaxat, quod si quispiam concivis ipsorum vel alius gravatus fuerit in iudicio ipsorum per interlocutoriam, que vulgariter *orteyl* dicitur, licitum sit sibi ab eadem interlocutoria ad maius nostrum iudicium appellare, cui appellacioni sue iidem iudices deferre tenebuntur forma iuris Theutunici non inmutata. Item omnes in Civitate vel intra muros Civitatis domos, hereditates, possessiones optinentes, eccllesiis et earum cimiteriis tantum exceptis, ad vigiliis, exactiones reipublice inpendendas tenebuntur. Hoc adiecto, quod si nobilis vel aliquis noster terrigena domus aliquas habuerit in Civitate prenotata, et eas exposuerit ad locandum, tunc locator sive inquilinus ad omnia onera Civitatis subire sit astrictus, a quibus oneribus nobiles nostros sedentes in domibus propriis volumus esse penitus immunes et exemptos; excepta guerra, dum hostes Civitatem obsederent, tunc omnes domos in Civitate habentes ad defensionem

ipsius sint astricti. Sandecenses eciam cives ceterique mercatores de Hungaria vel de confinio Sandecensi proficiscentes, nullas vias extraneas vel inconsuetas cum suis mercibus versus Prusiam, Poloniam, Sleziam, Boemiam vel Moraviam, nisi per ipsam Civitatem Cracoviensem transire debeant, occasione ulla non obstante. Itemque cives predictae Civitatis Cracoviensis supram nostram ementes, ab exactionibus, vigiliis, omnibusque iuribus aut oneribus Civitatis eximi non debeant nec absolvi. Ceterum necessitate exigente, dum presens privilegium legi debuerit vel videri, non alias, quam in Castro aut in Civitate Cracoviensi in presencia [nostra] ostendatur. Nulli denique tabernam ad medium miliare de Civitate sepedicta construere vel locare licebitur in preiudicium Civitatis. Ex superhabundanti equidem Munificencia decernendo statuimus, quod nulli possessiones vel hereditates aliquas personis ecclesiasticis uel religiosis quibuscumque resignare in perpetuum poterint uel conferre. Sed qui testari vel testamentum facere decreverint, ipsi vel executores huius testamenti vendito patrimonio vel hereditate de pecunia disponant iuxta libitum sue voluntatis ordinando. Demum, si quis de Civitate prenotata pro homicidio, vulneracione vel maleficio quocumque bannitus fuerit vel proscriptus, infra annum et diem a mansione Civitatis abstinere tenebitur et ingressu. Et eundem sic proscriptum in Kazimiria et in Florencia, hoc est circa sanctum Florianum et in aliis suis suburbiis fore censem proscriptum. Et e contra proscriptos in Kazimiria et apud sanctum Florianum eciam in ipsa Civitate Cracoviensi volumus esse proscriptos. A qua proscriptione excipimus nobiles nostri Regni, nisi essent notorii profugi vel predones. Omnes nempe mercatores cives Cracovienses cum suis mercibus per terras inter civitates et oppida ubique locorum transeuntes, a theloneorum solucionibus et gravaminibus quibuscumque omnimode absolvimus et liberamus. Postremo statuimus, quod si quispiam civis vel mercator extraneus nullo herede superstite vel legitimo succesore relicto decesserit, media pars bonorum per eum relictorum mobilium et immobilium regio assignetur fisco. Reliqua vero medietas in usus convertetur Civitatis. In quorum omnium testimonium et evidenciam plenior, presentem literam nostrorum sigillorum munimine duximus roborandam. Actum Cracovie in crastino beati Nicolai Confessoris, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo. Presentibus nobilibus viris nostris fidelibus, dominis: Iohanne Castellano, Imramo Palatino, Cracoviensibus, Iohanne Woyniciensi, Nynotha Radomiensi, Zavissio Sandecensi, Stascone Malogostensi, Castellanis, Floriano Cancellario Lanciensi, Iohanne Iudice et Andrea Subcamerario Cracoviensibus. Datum per manus domini Iohannis decretorum doctoris, decani et cancellarii Cracoviensis.

[hasła: testament, mieszczanie, prawo miejskie, duchowieństwo, dziedziczenie beztestamentowe, prawo kaduka, przedmieścia, skarb królewski, dobra martwej ręki, dobra kościelne, darowizna, prawo właściwe, sąd właściwy]